

& felle, in his enim tantum partibus venenum, & veneni reliquias residere, certissimum est. Quod etiam probatur hac ratione: Fel Viperae ictui serpentum omnium impositum, aut illitum, ut omnes medici, & attestantur, & jubent, venenum antea per corpus vagans, ad se retrahit, & vi rapit, ac extra educit, Id autem efficit, quia simile est, nec ullo alio modo efficere potest, aut attraheret, Sed quod à Vipera ictu eicitur, & ejaculatur venenum actu est; necesse igitur etiam fel quod extra illinitur venenum esse ex animantibus, & herbis venenosis attractum, & collectum facultate naturali vesicae felleae. Patet igitur attractionem à sola fieri natura ob similitudinem, id quod etiam caput ipsius Viperae, cum venenum possideat, attritum & superpositum ictibus idem praestare poterit mirifice, ut fertur. Quae vero veneno ex aduerso opposita sunt Alexiteria, sive amuleta vocare liberet, quae venenum expellunt, sive evacuant, aut evincunt, sive aliquo modo oppugnant, duplici facultate praedita sunt, tanquam media inter corpus, & venenum; cui prorsus veneno venenum esse, compertum est, & ipsum aliquo pacto extinguunt, nam caro Viperae, allium, juniperi fructus, ficus, caricae, nuces, cepae, raphanus, fructus smilacis asperae, & ligni sancti, caro,

& se-